

PROCANCELLARIUS  
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENSIS CANONICVS  
CAPITULARIS, COD. PROF. ORD. COLLEG. ICTOR. SENIOR  
ACADEMIAE DECEMVIR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

FRIDERICI CHRISTIANI HEYNERI

I. V. BACCALAVR

A. D. V. IVNII C I O C C L X X X X I V

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT

LIBERIA  
BIBLIOTHECA

COLLEGIUM CATHOLICUM  
SCHOOL OF THEOLOGY

LIBRARY OF THE CATHOLIC COLLEGE  
OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

2010-0001

# ELECTORVM

## CAPVT IV.

*De iureiurando vicario.*

**D**e vsu iurisiurandi ob frequentissimum eiusdem abusum e rep. prescribendo et si multi multa dixerunt, nec negari potest, nonnullos ea in re adeo leues esse, vt fere illud Lyfandri aut Philippi Macedonis: *Pueros talis, viros iureiurando circumueniendos esse*, suum fecisse videantur, verissimum tamen manet, quod ait Auctor Ep. ad Hebr. VI. 16. *Homines per maiorem (Deum) iurant, eisque omnium contouersiarum finis est iusiu randum ad rem confirmandam*, itemque Caius in l. 1. D. de iureiur. Maximum remedium expediendarum litium in usum venit iurisiurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate iudicis deciduntur contouersiae; neque video, quare hic demum abusus legitimum rei, de qua quaeritur, usum e medio tollere debeat<sup>a)</sup>. Facile quidem iurisiurandi religione in rep. careremus, si mendaciis abstinere fidemque seruare homines didicissent. Enim uero cum verba alteri dare fidemque fallere in morem fere abierit, haud pauci tamen, quibus hoc sollempne est, piaculum existiment, fraudibus suis speciem praetexere religionis, mendacioque nouum crimen, summi scilicet Numinis addere contemptum, nae satius

A 2

satius

a) Conf. G. H. AYRER *de abusu iuramentorum e rep. prescribendo*, Goett. 1741. Inuaret fortasse (in causis certe arduis) reducere morem maiorum iurandi in templis coram altari, de quo P. E. Spies in den archivischen Nebenarbeiten und Nachrichten P. I. p. 162.

## IV

satius est, retinere hoc fidei inter homines seruandae vinculum, quam id ipsum abolendo fenestram aperire fraudibus atque fallaciis. Evidem legi, quod scriptum reliquit CIC. pro *Roscio cap. 16.* At quid interest inter periurum et mendacem? — Propterea, quae poena ab Dii immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta. Non enim ex pactione verborum, quibus iuriandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiae tenduntur alicui, Dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt. Quominus autem ei adsentiam, hoc maxime facit, quod mendace plus utique peccat periurus, dum crimen addens criminis falsum obtentu religionis admittit. Et profecto ipse sibi contradicit CIC. cum (de Leg. II. 7.) scribat: *Viles esse autem opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quanta salutis sint foederum religiones? quam multos diuini supplicii metus a scelere reuocarit, quamque sancta sit societas ciuum inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?* Recte igitur non modo apud cultiores populos, sed apud ipsos etiam barbaros iusiurandum numquam non sacrosanctum existimatum est ac inuiolabile, vereque SENECA de Ben. III. 6. *Violatarum religionum aliubi atque aliubi diuersa poena est, sed ubique aliqua.* Certe apud Aegyptios olim teste DIODOR. SIC. I 77. periuri capite plectebantur, tamquam qui duplii tenerentur scelere, ut qui et pietatem in Deos violarent, et fidem inter homines, maximum societatis humanae vinculum, tollerent.

Ecquid autem statuendum de iureiurando per procuratorem praestito, quod vulgo iusiurandum in alterius animam vocant<sup>b)</sup>, ego vero praeeunte I. A. ERNESTIO in *Opusc. orator. nou. pag. 185.* iusiurandum vicarium dicere malui? Hoc quidem

b) Data opera hoc argumentum tractarunt N. C. LYNCKER *de iuramento mandatarii in animam principalis*, Jenae 1692.. I. F. RIVINVS *de iureiurando in alterius animam*, Lipsiae 1725. HENRICVS COMES RUTHE-  
NVS *de iureiurando per procuratorem*, Jenae 1729. et GUNDLING in *Gundlingianis IV. 3. Von dem Eyd durch Bevollmächtigte, oder von dem Eydschieur in des andern Seele.*

quidem alii, tamquam nec sanae rationi, nec iuri Rom. <sup>c)</sup>, conueniens, plane improbant atque reiiciunt, alii contra quodammodo ferendum et nonnumquam in usum deducendum esse existimant; atque his quidem ipse met ad stipulari nullus dubito. Quandoquidem autem qualibet in disceptatione a principio accurate nosse oportet, quid sit, de quo disputatur, hic etiam, ne re' inquatur aliquid erroris in verbo, praemonuisse iuuabit, iusiurandum vicarium nobis esse id, quod nomine et mandato alterius, seu in iudicio seu extra iudicium, ab aliquo praestatur <sup>d)</sup>. Differt igitur huiusmodi iusiurandum ab eo, quod quis in causa quidem aliena, sed suo tamen nomine praefat, e. g. Syndicus, qui iure saltem communi de calunnia in propriam, vt vulgo loquuntur, animam iurat. C. 3. X. de iurament. column. Vis aliud exemplum? Fert apud nos usus, vt cum rerum furto ablatarum pretium iure iurando indicandum est, atque is, cuius custodiae eae res concreditae fuerunt, meliorem, quam ipse dominus, pretii notitiam habeat, non hic, sed ille ad praestationem iurisiurandi admittatur. Certe is tunc non domini, sed suo nomine iurat, ideoque huiusmodi iusiurandum nec vicarium s. in alterius animam praestitum dici iure potest.

Formula quidem *iuramentum in alterius animam praestare*, vt-pote barbara, nec in collectione Legum Romanarum, saepius autem in Corp. Iur. Can. et Pont. obuia <sup>e)</sup>, procul dubio

A 3

medio,

<sup>c)</sup> Ita I. F. MALBLANC de iure iurando p. 382. nec non Io. BRANTS EN in Thesibus, diss. qua disquiritur: *Quousque bonum commune commodis priuatorum in ciuitate fit anteferendum?* L. B. 1770. adiecit, no. 4. *Iurisiurandi in animam alterius*, quod iure canonico et moribus hodiernis licitum est, leges Romanae nulla praebent vestigia; iuri autem naturae non repugnat, quamvis cautius et non aliter, nisi urgente necessitate, admittendum videatur.

<sup>d)</sup> Vid. c. 6. 7. X. de iurament. column. c. 3. eod. in 6. c. 2. de test. in 6. et G. L. BOEHMERI, Viri Celeberr. Princ. iur. can. §. 532.

<sup>e)</sup> Eandem formulam habet CANGIVS in Glossar. Tom. II. pag. 888. *Iurare in animam alterius.* Observat TILLIUS l. 1. p. 252. reges Francorum semel

medio, quod vocant, aevo suam debet originem; ceterum res ipsa antiquissima est, eiusque exempla cum apud Ebraeos, tum apud Graecos atque Romanos passim occurunt.

Ita cum apud Ebraeos Pontifex ipse iurare prohiberetur, iuriandum per procuratorem praestare solebat, ceu docuit **Io. SELDENVS de Synedriis II. 10. 7.** addens: *De iuramento in animam etiam domini procuratorio, maxime in causis Pontificium ac Episcoporum, obvia est apud Ietros nostros mentio; unde etiam Durandus de Episcopo litigante: Si sit causa ecclesiae, aut est spiritualis, et tunc iurat (Episcopus), aut civilis, et tunc iurat non per se, sed per procuratorem; quasi voluissent, Pontifices ac Episcopos reuera, non fuisse adiurandos, velut exemplo Flaminis Dialis, cui in Roma vetere iurare per se nunquam fas, sed per alium, ut procuratorem.* Exempla e graeca historia collegit **N. H. GUNDLING** in *Gundlingianis IV. 3. 17.* cuius scrinia hic expilare nec vacat, nec lubet. Ex historia Rom. exemplum refert **LIVIVS Lib. 31. cap. 50.** *Comitiis aediles curules creati sunt forte ambo, qui statim occipere magistratum non possent: nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, cum Hispaniam obtineret prouinciam; C. Valerius Flaccus, quem praesentem crearunt, quia flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solueretur, senatus decreuit, ut si aedilis, qui pro se iuraret, arbitratu consulum daret, consules si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus, qui iuraret pro fratre, L. Valerius Flaccus, praetor designatus, tribuni ad plebem tulerunt, plebesque sciuit, ut perinde esset, ac si ipse aedilis iurasset. Quid, quod nec in*

*semel per se ipsum seu personaliter iurare, quando scilicet inaugurarunt et coronantur; in cereris vero occasionibus, in quibus sollemniter quidpiam subditis pollicentur, id verbo regio firmare. Sed et addit, olim foedera ipsa, quae cum Regibus aliis sanciebant, non ab ipsiis metu, sed iis praesentibus a quopiam ex aulae proceribus ad id defecto in eorum anima. Nota etiam est formula: *Iurare vicariis manibus*, de qua CANGIVS l. c. pag. 889. *Iurare vicariis manibus*, id est per alios, dicebantur monachi, quibus iurare interdictum erat.*

in Digestis desunt veterum Ictorum idem testantium frag-  
menta. Audi quaeſo V L P I A N V M in l. 13. §. 13. D. de damn.  
infect. Si alieno nomine caueri mihi damni infecti postulem, iurare  
debeo, non calumniae causa id eum, cuius nomine cautum postulo,  
fuisse postulaturum, nec non P A V I V M in l. 97. D. de C. et D.  
Municipibus, si iurassent, legatum est. Haec conditio non est impos-  
ſibilis. Paulus: Quemadmodum ergo pareri potest? Per eos itaque  
iurabunt, per quos municipii res geruntur, itemque P O M P O N I V M  
in l. 42. §. 2. D. de iureiur. Sed etſi auctore deferente defensor absentis  
vel praesentis iurauit, eum, quem defendit, dare nou oportere, ex-  
ceptio iurisiurandi ei, cuius nomine iurandum fuerit, dari debebit.  
Eadem ratio est, etſi fideiſſoris defensor iurauerit: reo enim detur  
exceptio. Vides verba: cuius nomine, quae ſane, si rem iusta-  
lance ponderes, fatis clare indicant, procuratorem aut defen-  
ſorem non ſuo, ſed, vt dici ſolet, principalis nomine iurasse.  
His adde l. 9. §. 6. l 23 et l. 34. §. 3. D. de iureiur. nec non  
l. 2. D. quar. rer. aet. indeque, ſi non idem, hoc certe intelli-  
ges, pluribus in speciebus iusurandum non ab eo, cuius  
cauſa agebatur, ſed ab alio, e. g. feruo filioue familias praefi-  
ſitum, illi, cuius maxime intererat, ad exceptionem profuiſſe:  
Conf. B. B R I S S O N I V S de formulis et ſollemniibus P. R. verbis,  
Libr. 5.

Sed nec in legibus germanicis, qua publicis, qua priua-  
tis, desunt exempla eiusmodi ſacramentorum vicariorum, quae  
vulgo in alterius animam praefstiari dicuntur. Ita in Rec. Imp.  
ann. 1654. §. 43. fancitum eſt:

Ueber dieses verordnen Wir und wollen, daß eine jede Parthey,  
wie auch deren Procuratores und Advocaten, davon jedoch der  
Churfürſten und Ständen verpflichtete wirkliche Räthe, ſo viel  
ihrer Herren Rechtfertigungs-Sachen betrifft, zu excipiren, ent-  
weder in eigener Person, oder vermittels eines Special-Gewalts  
durch dero Procuratoren, wenn es entweder die Parthey begeht,  
und der Richter es darauf erkennet, oder auch von ſelbſten, in  
welcherley Theil des Gerichts von Amts wegen auferlegt, das  
iuramentum calumniae dahin zu erſtatten ſchuldig feyn etc.

nec

## VIII

nec non in *Ord. Cam. Imp. P. I. Tit. XI. §. 8.*

Wäre aber der Verdachte ein Churfürst, oder Fürst, der möchte so'chen Eyd vor dem Richter durch deshalb seinen vollmächtigen Anwalt, der zum wenigsten einer vom Adel seyn soll, in seine Seele schwören lassen.

Quid, quod in litibus, quae coram summis Imp. tribunibus agitantur, litigantes sine controuersia iusurandum per procuratorem speciali mandato instructum praestare possunt, teste TAFINGERO in *Inst. iurispr. cameral. IV. 1. §. 822.* itemque Ill. PÜTTERO in den *Eroerterungen und Beyspielen des teutschen Staats- und Fürstenrechts Sect. IV. no. 16.* qui quidem eam in rem etiam prouocat ad formulam mandati publice probatum, et in SCHMAVSSII *Corp. iur. publ. p. 949.* obuiam, cui haecce inserta est clausula:

*Auch einen jeden andern ziemlich in Rechten zugelassenen und mit Urtheil aufgelegten Eyd, etiam si litis decisorium fuerit, in meine Seele erstatte.*

Nec silentio praetereundum, recens electos, necdum praesentes, Imperatores Legem Regiam, quam vulgo Capitulationem vocant, per mandatarios s. commissarios iureiurando firmare, atque hoc ipsum in Capitulat. (*Art. 30. §. 4.*) promittere solere his verbis:

*Dennach wir auch wegen Unserer Abwesenheit die Wahlkapitulation gleich selbst zu beschwören nicht vermögend gewesen, so haben wir Unsern Commissarien deshalb völliche Gewalt gegeben, daß sie solche in Unserm Namen und Seele vorgängig beschwören sollen.*

Ad ius Sax. Elect. quod attinet, generatim quidem praestatio iurisiurandi per procuratorem prohiberi videtur *O. P. S. Tit. 18. §. 10.*

*Es soll auch ein jeder Eyd, er sey für Gefährde, iuramentum delatum, suppletorium, oder wie er sonst genannt werden mag, von den Principalen selbst geleistet, kein Anwalt aber, da er*

er gleich ein Special-Mandat hätte, hierinnen zugelassen werden f).

Enimuero nec apud nos deesse species, quibus procurator ad praestandum iusurandum admittitur, nemo, nisi in legibus patriis plane hospes sit, facile inficias ibit. Ita e. g. in *Mandato de rebus feudalibus* an. 1764. proposito Tit. 3. §. 1. sq. legitur:

*'Ein jeder Vasall ist schuldig, die Lehns- und Unterthanen-Pflicht sowohl bey Lehen als Mitbelehnschaften in Person abzulegen, es wäre denn, daß Wir einen auf sein beschehenes Ansuchen wegen Krankheit, hohen Alters, oder sonst anderer erheblichen Ursachen halber, und aus besondern Gnaden ohne Consequenz auf andere, durch einen Gevollmächtigten zu Ablegung der Lehns-Pflicht gnädigst zulassen würden.'*

Haud minus feminae feudum possidentes iusurandum fidelitatis apud nos per actorem praestant, idque ex praescripto eiusdem *Mandati* Tit. 3. §. 2.

*'Wenn ganze Corpora, Collegia und Communen, ingleichen Weibspersonen Lehnsgüther besitzen, so empfahen selbige — die Lehn durch hierzu bestellte Lehn-Träger und resp. Gevollmächtigte, jedoch mit diesem Unterschiede, daß der erstern Lehn-Träger die schuldige Unterthanen-Pflicht in ihre eigene, der Weibspersonen Mandatarii aber in ihrer Principalinnen Seele, kraft der hierauf besonders einzurichtenden Vollmacht, ablegen müssen.'*

Occurrunt praeterea in *Ord. Rec.* Tit. 18. §. 4. 5. et 6. species nonnullae, quibus alieno simul nomine iurari aut iubetur aut permittitur, quasque, vtpote satis notas, hic repetere nihil attinet.

### Non

f) Sigillatim de iureiurando diffessionis O. P. S. R. XXV. 4. *Die Diffession soll keinesweges per mandatarium, sondern von dem Principal in Person geschehen.*

### B

**N**on possum autem silentio hic premere speciem, quam mihi ipsi, causas quondam in foro agenti, obuenire memini. **I**n lite scilicet, quae inter Principem et Comitem, ambo aduenias hicque aliquamdiu commorantes, coram Praetorio Lipsiensi vertebatur, ille, mota contra Comitem actione, huic super libello iusiurandum detulerat, quo facto, liteque a reo contestata, iudicabatur:

*Dieweil Beklagter auf die erhobene Klage geantwortet, und deren nicht allerdings geständig; so ist dessen Principal den bei no. — der Einlassung ihm deferirten, so wie Klägers Principal den über no. — der Einlassung ihm referirten Haupt — Eyd, samt dem Eyde vor Gefährde zu schwören schuldig. —*

Quid hic actor? Iusiurandum ipse praestare renuens, vt per mandatarium iurare sibi liceat, a Serenissimo Principe Electore Sax. petit, idque, si recte memini, ideo, quod regulis Ordinis cuiusdam, quo erat condecoratus g), ipse iurare prohiberetur. Annuitur votis eius, atque haec in verba rescribitur:

*Wir finden Uns geneigt, dem Inhalts des abschriflichen Anschlusses von — angebrachten Suchen in soweit statt zu geben, daß er zu Leistung des in seiner mit — vor euch habenden Rechts Sache ihm auferlegten Eydes per Procuratorem admittiret werde, und begehrten hiermit, ihr wollet solches den Partheyen behörig bekannt machen, euch auch, wenn es zur wirklichen Eydes-Leistung kommt, darnach gebührend achten..*

Tan-

g) Erat autem Eques torquatus et Commendator Ordinum Sancti Spiritus, Archangeli Michaelis. Diuine Huberti, de quibus ordinibus praeter alios legi potest CHRISTIAN GRYPHII kurzer Entwurf der geistlichen und weltlichen Ritterorden, et sigillatum de ordine Spiritus St. Recherches historiques de l'ordre du Saint Esprit. Les noms, qualitez, armes et blasons, de tous les Commandeurs, Chevaliers et Officiers. depuis son institution jusqu'à présent; ceux de leurs peres, meres, enfans et descendants. Avec les Statuts, Ordonnances et Privileges du même Ordre: Ensemble ceux de l'ordre de S. Michel avec la liste des Chevaliers faits par le Roy Louis le Grand, depuis 1665. à Paris 1710. Tom. II. in 12. quem liberum CANGIO tribuit Ev. OTTO in Prim. lin. notit, rerum publ. p. 201.

Tandem, reo ad iurandum se haud sistente, sacramentoque ab actore per procuratorem praestito, haecce fertur sententia:

*Dieweil die Citationes zu Ablegung der Eyde Beklagtens Anwalde behörig insinuiren worden, letztern aber nach Vorschrift der Erl. Proc. Ordn. das einmal auf sich genommene Mandat zu wieder-rufen nicht freistehet, ihn auch die Clausul in der Vollmacht von solchem Gesetze zu dispensiren nicht vermag; So hat Beklagter sich an dem ihm deferirten Haupt-Eyde versäumet, und da hingen-gen Kläger den seinigen, gnädigst nachgelassener massen, per Pro-curatorem geschworen; so ist nunmehr Beklagter die libellirte — entweder in Natura, oder deren angegebenen Werth an — Klä-gern auszuantworten, auch die durch diesen Proces verursach-ten Unkosten demselben zu erstatten verbunden.*

Venit hic mihi etiam in mentem species, quam nuper tra-ctauit celeberrimus PÜTTERVS l. c. Ciues scilicet (vulgo subditi) territorii Comitis alicuius Imp. in quo Ord. Proc. Sax. sponte recepta fuerat, actionem mouent contra dominum territorii, et non modo delatione vtuntur iurisiurandi, sed postulant etiam, vt ipse Comes iusiurandum praestet, causati, eum hac in lite personam sustinere priuatam, et Ord. Proc. Sax. praestationem iurisiurandi per mandatarium disertis ver-bis prohibere. Enimvero recte, si quid video, iudicauit Cel. PÜTTERVS, actorum petitioni vel ideo haud adnuendum esse, quod all. Lex. Sax. non Comitem ipsum, sed eius potius subditos vinciat, et si lis coram tribunali aliquo Imp. vertere-tur, Comiti ipsi per procuratorem iurare licitum foret. Ne-que me nunc moratur Cel. A. F. SCHNAVBERTI diss. de *Principe legibus suis obligato*, (Ienae 1793) qua de sententia quid mihi videatur, alio fortasse tempore dicam.

Supereft, paucis dicam, quid mihi generatim de huius-modi iureiurando videatur. Ego scilicet existimo, quodlibet iusiurandum regulariter quidem ab eo, cui iniungitur, ipso praestandum esse, ceterum tamen, si iusta aliqua suppetat

B 2

causa,

## XII

causa, nihil impedire, quo minus impetrata venia etiam per procuratorem praestari possit <sup>h)</sup>). Nae enim vehementer errant, qui hunc modum iurandi absconum minimeque ferdum censent.

Certe argumentum, quo eam in rem vtuntur, eiusmodi est, vt facile possit refelli. Aiunt scilicet, locum sic facile dari periuriis, propterea quod iuraturus de vitando periurio moneri haud possit. Cum autem hanc in rem mandato opus sit, quo non modo summa (vulgo *tenor*) iurisiurandi, sed clausula etiam, mandantem probe scire atque persuasum habere, iusiurandum per procuratorem praestitum eandem habere vim, quam habet id, quod ab ipso praestatur mandante, contineatur <sup>i)</sup>, stipes profecto esset et truncus, qui fibi

<sup>h)</sup> Vulgo quidem id duobus tantum concedunt casibus, scilicet quando-

1) de iureiurando calumniae quaestio sit, 2) pars aduersa consentiat. Ego vero haud dubito, quin iustis de causis idem aliis etiam in speciebus, inuitaque parte aduersa, locum inneniat. Bene I. O. WESTENBERG in *Princ. iur. sec. ord. Dig. XII. 2. 8. Iurare possunt omnes, qui iuramenti vim et rem, de qua illud praestandum est, intelligunt, neque specialiter prohibentur, vel per se, vel per procuratorem speciale mandatum habentem.* Cae autem, nobis obiicias l. 12. §. 4. C. de R. C. et Nou. 124. c. 1. Continetur enim hisce legibus regula, quam nec nosmet ipsi inficiamur, sed saluis exceptionibus iusta aliqua causa nitentibus.

<sup>i)</sup> Vid. I. F. SEYFARTS *teutscher Reichsprocess*, p. 347. G. E. OELTZENS *Anleitung zur gerichtlichen Praxis, überhaupt und insbesondere zu dem ordentlichen Civil-Process*, §. 254. I. CLAPROTHS *Einleitung in den ordentlichen bürgerlichen Process, Th. II. §. 552.* itemque *Vollständige Erläuterung des gemeinen Teutschen und Sächsischen Processe*, Th. III. p. 303. Formulam iurisiurandi in alterius animam OELTZIVS l. c. hanc exhibet:

*Ich N. N. in habender Vollmacht N. N. schwöre in dessen Seele zu Gott dem Allmächtigen einen theuren Eyd, dass mein Principal die geklagten — nicht erhalten habe. So wahr ihm Gott helfe und sein heiliges Wort.*

For-

fibi persuaderet, tutius falsum iurari per procuratorem, quam ab ipso mandante. Recte GUNDLING l.c. ait: Si quis tam stupidus est, ut id nesciat, dic ipsi, et, si opus est, repe, donec intelligat. Quidni etiam mandans, antequam mandatum subseribat, aequo moneri de vitando periurio queat, ac is, qui ipse ad iurandum sese accingit? Sane hic quoque valet regula: Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur. Iustae autem causae mihi videntur a) eius, qui iurare debet, morbus diuturnus, b) absentia longa et necessaria, c) difficultas iuriurandum eo in loco, ubi iuraturus domicilium habet, praestandi, d) regulae Ordinis, cui is, quem iurare oportet, adscriptus est; praestationem iuriurandi prohibentes. Sunt fortasse etiam aliae, de quibus is, penes quem eius rei potestas est, facile arbitrabitur..

Ceterum hoc lubenter largimur, nomine, seu ut vulgo loquuntur, in animam inuiti iurari iusta ratione haud posse, ideoque iuriurandum, quod lictor olim eius nomine praestabat, qui vphedam iurare praefracte renuebat, a natura iuriurandi, quod liberum esse debet nulloque modo extortum, plane recedere<sup>k)</sup>. Enimuero hoc nos hodie morari amplius haud potest, postquam in Mandato wegen des Verfahrens in Untersuchungs-Sachen, d. 30. April. 1783. proposito, sancitum fuit, vphedam in posterum non nisi stipulata manu praestari, atque promittentes modo, ibidem praescripto admoneri debere..

B 3:

Sed

Formulam autem iuramenti fidelitatis a procuratore praestiti nuper legi ita conceptam:

*Ich N. in habender Special-Vollmacht L. D. von N. huldige, gelobe und schwöre in dessen Seele, dass mein Principal, L. D. von N. alles und jedes, was mir jetzo vorgelesen worden, und ich wohl verstanden habe, stets fest und unverbrüchlich halten soll und will, getreulich ohne alle Gefährde. So wahr ihm Gott helfe, rel.*

k) Qua in re praeter alios consentientem habeo I. F. MALBLANC de: iure iurando p. 381.

Sed indicenda nunc sunt sollemnia inauguralia

CANDIDATI DOCTISSIMI

FRIDERICI CHRISTIANI HEYNERI

I. V. BACCALAVR

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exposuit:

Ego FRIDERICVS CHRISTIANVS HEYNERVVS natus sum Burgwerbiae prope Leucopetram anno huius saeculi sexagesimo quarto. Suscepit me ibidem Pater IOANNES GEORGIVS, vir probus et honestus, dum viueret sacra curans, quem tamen viginti quatuor abhinc annis acerba et praematura morte mihi ereptum quam maxime doleo, ex matre SOPHIA AMALIA, quam per diuini Nuuninis gratiam superstitem adhuc summa pietate colo. Prouida horum optime de me meritorum parentum cura et industria indefessaque eorum studio factum est, ut priuata institutione tam religionis principiis, quam litterarum artiumque bonarum rudimentis recte imbuerer. Ita praeparatus primum scholam Numburgensem frequenter, deinde me excepit Gymnasium Hallense Orphanotrophei, cuius Praeceptoribus cum in litteris addiscendis, tum in formandis moribus plurimum debeo. Quo facto anno 1781. a Rectore Magnifico b. FVNCKIO ciuium Academicorum albo adscriptus sum. Habui doctores in philosophia addiscenda PLATNERVM et SEIDLIZIVM, in notitia rerum gestarum tam vniuersali, quam particulari, et profana et ecclesiastica WENCKIVM et BVRSCHERVM, in mathematicis usus sum disciplinis beati FVNCKIE. Quum vero potissimum ad Theologiae studium tunc temporis animum applicarem, scholis b. MORI et KOERNERI, quos rebus humanis eruptos omnes boni lugent, assidue interfui. Peracto cursu theologico anno 1785. Querfurtum jubente supremo in illa dioecesi Sacrorum antistite, me contuli ejusque liberorum erudiendorum curam in me suscepi, quo ipso anno Dresdam profectus sum, vbi superato tentamine theologico, hono-

*honorifico elogio me exornauit Supremum Consistorium. Cum Lipsiam  
 reverterer, auctore et iure b. REITZIO, cuius cineres veneror,  
 accidit, ut Fribergam proficiscerer ibique in notitiam domus NAV-  
 MANNIANAE, quam satis laudare et celebrare nequeo, venirem.  
 Mirum in modum sensi felicitatem sortis meae auctam ex fauore in-  
 signi NAVMANNI, nunc domini hereditarii in Kosbuten prope Lip-  
 siam et Inspectoris Acciseae Electoralis, quem praeparatione antea per  
 annum habita ad altiores disciplinas comitatus sum in hanc littera-  
 rum vniuersitatem, ubi rationem studiorum ejus per triennium direxi.  
 Huic in primis debeo occasionem iucundissimam diuque exoptatam Au-  
 ditoria Iuridica frequentandi. Hinc in iure ciuili priuato et publico  
 cognoscendo secutus sum disciplinam BIENERI, cuius in me merita  
 tot et tanta sunt, quot et quanta lingua nuncupare uequit: artem ex  
 actis iudicialibus referendi EINERTVS me docuit: *Ius Germanicum*  
 et *Canonicum* mihi tradidit KNOETSCHKERVS. In addiscendis  
 litteris in primis theologicis vel maxime adiutus sum auxilio et fauore  
 M. SCHLEGELII Pastoris et successoris patris mei, cuius me mu-  
 nificentia a curis molestis liberum praestitit, cuique gratias, quantas  
 agere possum maximas, publice persoluo. Caeterum habui et alia,  
 quae celebrare fas est, emolumenta. Fruitus enim sum per primum  
 studiorum meorum annum coniunctu HOENTHALII Comitis gra-  
 tuito, et quae ab APELIO, Praetore Lipsiensi, et SCHARFIO  
 concessa sunt, beneficia gratissima adhuc mente agnoso. Emenso Iuris  
 curriculo et superato examine, quod pro Candidatura et pro Praxi  
 appellatur, Illustris Iure-Consultorum ordo primam iuris lauream  
 mihi concessit, ita ut paullo post alterum examen, quod rigorosum dici  
 consuevit, subirem, et iam summos in utroque iure honores petere  
 haud dubitarem. Cui quidem desiderio si ab illustri Iure-Consultorum  
 Ordine locus fuerit relictus, nullum omittam et pietatis et obseruantiae  
 officium, quo tanti beneficii memoriam coli renouarique a me posse  
 intelligam.*

Ad altiora igitur progressurus nos adiit, vtque summi in  
 iure honores in se conferantur, petiit. Cui desiderio, post-  
 quam in examine, quod vocant, rigoroso Collegii expecta-  
 tioni

tioni omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potuerimus,  
vt publice etiam de eius profectibus constet, proximo die  
Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. l. i. C. de  
*caduc. tollend.* interpretabitur, mox autem a. d. V. huius mensis  
hora IX. eodem loco Diss. *de condemnatione ad metalla* fine prae-  
side publice defendet, quo facto vir illustris atque excellen-  
tiss. Dn. Chr. Dan. Erhard, Supremae Curiae Lipsiens.  
nec non Iudicij Provincial. Lusat. inf. et Ord. Ictor. Assessor,  
Tit. de V. S. et R. I. Prof. P. O. fautor et collega honoratissi-  
mus, cui ex eiusdem Ordinis decreto promotoris munus dele-  
gauit, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis atque  
iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Colle-  
gio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.  
Quam sollemnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFI-  
CVS, PRINCEPS SERENISSIMVS, COMITES ILLV-  
STRIS SIMI, VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRA-  
VISSIMI, CIVES denique GENEROSISSIMI NOBI-  
LISSIMI QVE praesentia sua honorifica splendidiorem red-  
dere velint, enixissime rogamus.

Sc. Lipsiae Dom. Exaud. MDCCXCIV.

EX OFFICINA SOLBRIGIA.

